B. N. C
FIRENZE
1102
11

1102 11

1102
AI

Totius philoſophiæ na-TVRALIS EPITOME, SEV Enchiridion, ex vniuerſis Phyſicis Ariſtotelis nunc primùm decerptum.

SIMONE BROSSERIO AVTHORE.



PARISIIS.

Ex officina Reginaldi Calderij, & Claudij eius filij.

1546.

SIMONIS BROSSERII AD optimum ſuum patruelem, doctorem Theologum, Andream Broſſ. Montaurenſiúmq; Auguſtinorum Præſ. Vigil.

Procemium.

CVM iſtic ſæpius, vir ſyncere, tua nos amplexaretur beneuolentia: plerunque tu mihi benignè quidem conuocato, de varijs hominum conditionibus multa narrabas. de qua re varijs vltro citróque iactatis, dicebas non deeſſe, qui adhuc quidem rudiores, bonis tamen artibus nihilominus capeſſendis omni ope innixi, plurima nunc ſtudia nequicquam attentarent. Sanè ipſis inter ſe philoſophis conuenit, nonnullos conſpici modicæ admodum apprehenſionis: quibus ad bona ſtudia penè nequicquam contendentibus, perquam commodum fore tradunt, ſi pauca eáque apprimè neceſſaria, in anguſtam memoriam firmius recondant: vnde poſtea, veluti ex notioribus quò maiori ſunt ingenio, eò ſingularia quæque facilius conijciant. Denique omnibus his perſpectis, potiſſimum verò tua exiſtimatione ductus, vniuerſam naturalis philoſophiæ rationem facili compendio perſtringere aggreſſus ſum, vt cum ad ea quæ nobis ex ipſa, delectationem, vtilitatémque adferre poſſint, ſaltem fiat quædam manuductio: tum parens ille fabricatórque mundi in ſuis operibus aliqua ex parte ſit hominibus exploratior. Sed hoc vnum interim peroptem: vnuſquiſque animaduertat literarum ſtudioſus, nos, ex diui illius Aurelij Auguſtini *ſententia, pleraque pro noſtra exiſtimatione aggredi, & aſſerere: at non*

Scopus authoris.

Aur. Aug. ſententia.

quæ neceſſaria ſint, verùm quæ ita nobis maximè eſſe videantur. Nam cedò, vias Domini quis vnquam enarrabit? Hinc hominum in rebus varia opinio: ſed quæ maiori tum probabilitatis & rationis, tum authoritatis quantitate ſuffulta, pluris demum habeatur. Et quanuis nihil iam ferè dici poteſt, quod non fuerit dictum prius: vtendum tamen eſt in rebus tradendis, hominum cenſura: tantóque meliora noſtra putamus, quantò magis magíſque vera ipſis eſſe videntur. Itaque quemadmodum ferè quæcunque ab aliquo ſumunt originem, in id poſtremò recidunt: ita quoque qui præcipuum huius rei dederis initium, conuenit, vt id in te recidat, te patrem appellet, te verum authorem nuncupet, tuíſque titulis obſignatum prodeat in lucem. Vale. Vindocinij. *Anno Domini.* 1 5 3 6.

Ter. eunuc.

LIBER PRIMVS DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

Quid Natura, & quid Res naturalis. Cap. I.

RES Naturalis, quæ & corpus phyſicum vocatur, eſt, quæ ex naturis conſtat. Vt omnis ſoláque ſubſtantia corporea, quæ artificiali opponitur. *Quid res naturalis.*

Eſt autem Natura, principium quoddam ſeu cauſa, vt moueatur, vel quieſcat id, in quo primùm, ſeu per ſe, & non per accidens, ineſt. *Quid natura.* Vt materia,& forma: principia ſubſtantialia, hoc eſt, ex quibus ſubſtantia rerum naturalium, atque ipſum eſſe, conſurgit. Verbi gratia: In igne, materia & forma principia ſunt. Illud quidem, ſuſceptiuum : hoc verò, effectiuum : ex quibus ſurſum moueatur, omnéſque naturales agat operationes:atque adeò in ſuo ſtatu perfecto, trans aëra,quieſcere appetat.

Diximus autem ipſam formam & materiam principia, per ſe inquam exiſtentia atque eſſentialia. Quoniã licet ipſa ignis leuitas, cauſa quodammodo ſit, & principium motus eius ſurſum : lapidis autem grauitas, motus deorſum : non tamen iſta per ſe, rebus inſunt, ſed per formam ipſam ſubſtantialem. quæ & per eadem veluti inſtrumenta,huiuſmodi motus efficit. *Solutio obiectionis.* Quorum quidem ſubiectum eſt, atque receptaculum, ipſa materia: in qua conſeruentur, & permaneant, quæcunque rei naturaliter conueniunt. Ad actionem autem non concurrit.

Quid ſecundum naturam, contra naturam, & præter naturam. Cap.2.

Quæ dicantur ſecundũ naturam.

Has autem dixit naturales, quæ ex naturis conſtant.

SVnt autem ſecundum naturam, & res naturam habentes, quas naturales diximus, & ea quoque quæ rei naturaliter conueniunt. Vt ignis naturales diſpoſitiones, quas accidentarias formas appellant, atque motus naturaliter ipſi igni conuenientes. putà, calor, ſiccitas, raritas, leuitas, motus ſurſum, calfacere,&c. Aquæ verò ſecundum naturam ſunt, frigus, denſitas, grauitas, humiditas, motus deorſum, frigefacere,&c. Contra naturam autem ſunt, quæ rei forma contranitente, per violentiam prædominantis fiunt. vt aquæ calor præualente igni impreſſus: vt lapidem moueri ſurſum, ignem deorſum.

Quæ dicantur cõtra naturam.

Quæ dicantur eſſe præter naturam.

Præter naturam rurſus dicuntur ea, quæ quemadmodum non repugnante quidem natura producuntur, ita nec ipſi cõueniunt. vt lapidem laterali motu in loco plano, ex impetu moueri.

Atque hoc illud eſt, quod hac diuiſione Ariſtoteles innuit: Eorum quæ ſunt, quædam natura, quædam ob alias cauſas: vt putà à voluntate, à fortuna.

Quæ rerum naturalium principia. & quæ diuiſio tum materiæ, tum formæ. Cap.3.

Cap.1.

RErum igitur naturalium principia ſunt, quæ neque ex ſeſe mutuò, neq; ex alijs fiunt: ſed ex ipſis omnia alia eſſe oportet. quæ quidem ſunt, quas naturas eſſe prædiximus: putà materiam & formam, ex naturalibus. Quippe ex quibus omnes res naturales ſubſtantialiter conſtituuntur. Ipſæ ſiquidem prorſus ſimplices ſunt: neque alteram, altera habet pro parte ſui. Vt quemadmodum materiam, quatenus principium rerum na-

natura-

turalium,ex nulla forma:ita formam,quatenus tale principium, ex nulla materia eſſe dixeris.neque item ſiue materiam,ſiue formam,ex altera rurſum materia aut forma,aut etiam ex alia quauis re compoſitam eſſe,aſſerueris. Niſi fortè omnem materiam, omnémque formam, præter animam rationabilem, quæ hominis eſt, dicas ex partibus ſuis integrantibus, eiuſdémque rationis & nominis,reſultare.quæ ſanè inter alia, ab ipſo toto minimè reponuntur.

Itaque cum vniuſcuiuſque rei, & naturalis & artificialis, duplex tum materia,tum etiã forma reperiatur: Prima quidẽ materia,de qua mox dicetur. Secunda,ipſum corpus,vt longũ, latũ, & profundum. Prima autem forma, ipſa longitudo,latitudo, ac profunditas, quam τοῦ σωματισμοῦ,hoc eſt, corporeitatis formam dicunt,quę accidentaria eſt,& cernitur oculis. Secunda,vniuſcuiuſque rei ratio,quæ & forma ſubſtãtialis eſt, & in naturalibus intellectu tantùm percipitur. Sanè ſola prima materia, quæ quidem in omnibus tam naturalibus quàm artificialibus eſt eadem, vnà cum vltima naturalium forma,principia hîc dicuntur.

Duplex materia & forma.

Quæ ſecunda materia.

Quæ prima forma.

Quæ ſecunda forma.

Quid materia,& quid forma. Cap.4.

EST ergo materia, ſubiectum ex quo aliquid generatur primum,& in quod corrumpitur vltimum.vt,in homine,ſeparata per intellectum (id enim re ipſa fieri nequit)anima, cum magnitudine, figura,colore, ac cum omni habitu corporis, & affectione: id quod vltimum relinquitur, varijs quidẽ mutationibus, noua accedente forma, & depulſa priore,obnoxium : ipſum autẽ per ſe perpetuum ac incõmutabile, materia prima dicitur. Eſt enim ipſa ingenerabilis atque incorruptibilis : nec adeò vli ſubeſt

Quid materia.

li ſubeſt creaturæ, vt eius vel minimum quid, aut producere aut annihilare poſſit. Nam quod ignis ipſe aduerſus lignum præualens, forma ligni excluſa, ſimile ſibi generet: ſanè quemadmodū & in omni actione quæ fit à re naturali, præſupponitur materia, cui forma imprimatur: ita ignis nunquam niſi ex ſubſtrata ligni materia, ignem facit. Fitque tum ignis materia, quæ prius ligni erat. Atque ita profectò, ſolus eſt omnium ille pater, Deus Opti. Maxi. in cælis exiſtens, qui & potuit vniuerſam hanc mundi machinam ex nihilo, materiáque nuſquam præinuenta, creare: & eandem poteſt cum voluerit, ad nihilum vſque redigere. Forma verò, modus quidam materiæ, quo rei contingit, vt huius, vel illius ſpeciei accipiat nomen.

Dei magna poteſtas.

Materiæ atque formæ explicatior natura. Cap. 5.

VT autem fiat vtriuſque manifeſtius officium, atque natura, aſſumi ſolet craſſa quædam, ſed ad rem accommodata ſimilitudo: hunc in modum: Sicuti ceræ globus ex ſe nullam habet expreſſam imaginem, ſed ſecundum varias ſigillorum ſculpturas, varias quoque poteſt ſuſcipere formas, ſic tamen vt ſucceſſiuè quælibet inducatur: ita ſanè materia ex ſeſe ad omnem prorſus formam ſuſcipiendam, nullo diſcrimine adhibito, eſt conſtituta. Formas autem (vltimas puto) impoſſibile eſt per naruram ſimul ineſſe.

De priuatione. Cap. 6.

AT de numero, & aſſignatione principiorum rerum naturalium, variè admodum ſenſerunt veteres. Veruntamen fidelium doctorum vnanimis firmat conſenſus, duo tantū eſſe:

eſſe: de quibus hactenus. Priuatio enim, tametſi perinde ac forma & materia, principium tranſmutationis rerum naturalium dici poteſt: non tamen ita rerum naturalium principium admitti debet, cum ex ea ipſæ minimè componãtur. Eſt autem formæ priuatio, non exiſtentia eius in ſubiecto, eam habere nato. vt quoniam materia ex ſua ipſius natura apta eſt quaſuis formas ſucceſſiuè habere: hinc ſanè fit (quod alioqui dici ſolet, priuatio præſupponit habitum) vt abſentibus priuetur, & ex quadam occaſione alias atque alias induat formas.

Priuatio potius tranſmutatiõis, quàm rerum naturalium principium.

Quid priuatio.

Hoc manifeſtum euadet ex c. 5.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS DE CAVSIS RERVM NATVRALIVM.

Quid cauſa, & eiuſdem diuiſio. Cap. 1.

CAVSA eſt, ad cuius eſſe conſequitur aliud. Nam cum omne quod creatum eſt, aliquam neceſſe ſit vt ſuæ exiſtentiæ habeat cauſam: ſpiritus quidem ipſi, efficientem & finalem: corpora verò etiam præterea materialem, atque formalem: ſanè (vt per ſpeciem magis propriè demonſtremus) ab ipſo ſummo Deo, omniũ prima cauſa efficiente: à fine item, quod eſt, deo ſeruire: deinde à materia, ſiue prima, ſiue ſecunda, de quibus prius: poſtremò verò à forma, habet homo vt ſit.

Quid cauſa.

Igitur vniuſcuiuſque rei naturalis, atque adeò artificialis, quadruplicem cauſam ſtatuimus: *[Cauſæ quatuor.]* materialem, formalem, efficientem, & finalem. Quæ nimirum hunc habent inter ſe ordinem: vt prima ſit omnium, efficiens: I. inde ſequatur, materia: II. tertio verò loco, forma. III. At de fine, quanquā vſu effectúque poſtremus ſit, IIII. omnium tamen propoſito ac inſtitutione primus, efficientem ſtimulat: quæ tum incitata, vim ſuam explicat in opus: alioqui iners, ſegnis, otioſa, ideóque contemptibilis permanens.

Singularum cauſarum definitiones. Cap. 2.

MAterialis quidem (vt hinc finiendi exordium ſumam) cauſa eſt, ex qua quippiam, ita vt in ipſo remaneat, efficitur. *[Formalis quid]* Formalis verò, per quam. vt ex ligni materia, per formam ignis, quæ in illam introducitur, fit ignis: & vtraque in eo remanet. atque adeò, ex auro, per idoli formam, ſeu ſecundū eam infuſam, idolum efficitur.

[Principia intelligit conſtitutiua.] Sed de his quidem ſuprà, vt principia ſunt rerum naturalium, cœptum eſt determinari. Proinde non ita prolixa de iiſdem hîc fiet oratio, niſi quātū τοῦ αἰτιολογικοῦ λόγου, ἢ τῆς αἰτιολογίας, *[Id eſt, ſermonis rationalis, ſeu cauſæ.]* id eſt (vt ita dicam) cauſalitatis ratio, poſtulat. Quin & ipſa eadem, partes rei integrandæ dici poſſunt, alia tamen rurſum conſideratione.

Ad hæc, licet ignis leuitas, grauitas lapidis, cultri acuties, cauſæ quodam modo atque principia ſint facilioris rerum operationis: non tamen cauſæ ſimpliciter dicendæ ſunt, ſed potius occaſiones, vel, per diminutionem, cauſæ occaſionales, aut etiam cauſæ ſine quibus non, putà ſine quibus effectus rebus conuenientes, vel non fieri, vel ſaltem non ita commodè, aut facilè poſſent. Porrò cauſa efficiens eſt, à qua primùm effectus poſitiuus, aut

priuatiuus exterius producitur. Vt homo, quam olim conſtruxit nauim, iam deſtruit.

Finalis demum, propter quam cuncta fiunt. vt in ædificatione domus: cuius omnia media fiunt, vt dominus inhabitet, aut vendat, aut locet.

Effectuum item definitiones. *Cap.3.*

CVm autem vnicuiq; cauſæ ſuus correſpondeat effectus, pérque vnius correlatiuorũ definitionẽ, facilè cognoſcatur & reliquũ: ſatis profectò fuerit, ſit ſingulorum effectuum definitiones, quodam veluti tranſitu, ſubiungamus. Eſt itaque effectus (vt primùm generi opponatur genus) quod ad alterius eſſe conſequitur.

Effectus cauſæ materialis, quod eſt ex aliquo: formalis, quod per aliquid: efficientis, ab aliquo: finalis, gratia alicuius. Nam & res eadem, diuerſa ratione, diuerſus eſt effectus.

Triplex cauſarum conditio. *Cap.4.*

QVinetiam, vt prædictorum habeatur plenior cognitio, tres ferè ponuntur cauſarum conditiones, quarũ prima eſt hæc: Eiuſdem rei poſſunt eſſe plures cauſæ. Quod quidem tum de varijs cauſarum generibus, tum etiam de eodẽ, accipere licet. Nam & efficientes cauſas habet idem homo, Deum ipſum, patrem, matrem. Et vniuſcuiuſque rei, tam naturalis, quàm artificialis, cauſæ ſunt, efficiens, finalis, materialis, & formalis. Secunda conditio. Cauſæ poſſunt ſibi inuicem eſſe cauſæ. Vt deambulatio, quãuis cauſa efficiens ſit ſanitatis, nihilominus interim ſanitas ipſa ambulationis cauſa eſt finalis.

Plures, atque heterogeneæ poſſunt eſſe eiuſdẽ cauſæ.

Cauſæ eſt cauſa.

nalis. Tertia conditio. Eadem poteſt eſſe cauſa contrariorũ effectuum. Nam ſol ſuo calore, ob variam ſubiecti diſpoſitionem, lutum quidem durum facit, ceram verò mollem.

De caſu, & fortuna. *Cap. 5.*

CAſus autem, & fortuna, tametſi cauſæ ſint efficientes: quia tamen ſpecialem habent difficultatem, peculiarem ſibi exigunt tractatum. Igitur eorum quæ fiunt, alia vt plurimum, alia rarò, alia autem ſemper, eodémque modo fieri conſtat. Semper enim forma lapidis, ablato impedimento, lapidem ipſum deorſum moueri facit: & ſemper ortus ſolis eſt. Plerunque autem ἡ ὥρα, id eſt deambulatio valetudinis gratia per locum amœnum facta, animi releuationem operatur, ſanitatem producit, atque conſeruat. Conantem denique ad rei venereæ pluſquam ferinos inſultus, rarò euenit virtutibus præditum eſſe. Rurſum eorum quæ fiunt, alia intenduntur, alia verò non. Veluti cum quis dedita opera, atque conſultò, alterum interficere conatur: & cum ex inopinato quicquam contingit alicui. Quorum effectuum, ille eiúſque cauſa, per ſe dicitur: hic verò, per accidens.

Quid caſus. *Quid fortuna.* *Differẽtia inter caſum & fortunam.* *Eſt enim communior caſus.*

His ſic præmiſſis, caſum ita definiamus: Caſus eſt, cauſa per accidens, effectus rarò contingentis. Fortuna verò, itidem: ſed in his quæ per electionem fiunt. Vnde manifeſtum eſt (ſi quidem propriè loquamur) caſum eo diſcrepare à fortuna: item effectum caſualem, à fortuito: quòd fortuna in ſolis eſt agentibus ex propoſito: caſus verò etiam in naturalibus. quemadmodum, ſi fortè contingat, alicui tecto domus, ignem furtim irrepere.

Typus

Subſtantia.
Genus ſummum.

Differentiæ ſubſtantiales, ab ipſa forma deſumptæ.		Tum differentiæ, tum genera intermedia.		
Corporea.		Incorporea. Spiritus	Angelus, Anima	
	Corpus			
Miſtum.		Simplex. Corpus ſimp.	Cælum, Stella, Elementum	
	Miſtum corpus			
Animatum.		Inanimatum Corp⁹ inani.	Perfectum	Lapis, Metallum
			Imperfectũ	Fulgur, Pluuia
	Aíatum corpus			
Senſitiuum.		Inſenſitiuum Planta	Arbor, Frutex, Herba	
	Animal		Terreſtre	Gradiens, Serpens, Inſectum.
Rationabile.		Irrationabile. Brutum	Ἀμφίβιον	
			Aquatile	
			Volatile	Auis, Inſectum

Homo.
Species infima.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS, DE MOTV ET ACCIDENTIBVS EIVS.

Quid motus. eiuſdem diuiſio. quæ ad motũ neceſſaria. Cap. I.

Motus quid. MOtus, actus eſt cuiuſq; mobilis, vt eſt mobile. Verbi gratia: corpora cæleſtia, quia ad inferiorum qualitates potentiam non habent, ea non contingit illorum alterationes recipere. At verò quia ſecundum locũ mutari poſſunt: quinimo & penes ſuas partes perpetuò, vel ad locum mouentur: ſanè actus ille mutationis, ad quam naturalem
Motus inſtantis quid. habent potentiam, motus ipſis dicitur. Motuum autem alius eſt, quem τὸ ἀθρόον, ἢ τὸ νῦν Græci vocant: putà qui in momento
Motus ſubitus quid. tẽporis perficitur: vt eſt totius aeris illuminatio. Alius verò ſubitus, qui in inſtanti quidem non completur, tamen in imperceptibili fit tempore. vt cum calefaciens primum caloris gradum
Motus ſucceſſiuus quid. in ſubiectum inducit. Alius deniq; ſucceſſiuus, quãdo aperta eſt in motu ſucceſſio. Cuiuſmodi eſt motus calefactionis: vbi calor totus non in inſtanti, aut ſubitò, ſed cum temporis ſucceſſione in ſubiectum introducitur.

Eſt autem animaduertendum, in quolibet motu quinque re-
Ad motum neceſſaria. quiri, ſine quibus fieri non poteſt. Et ſunt: mouens, mobile, terminus à quo, terminus ad quem, & tempus. Exempli gratia: in alteratione à vitijs ad virtutem, mouens eſt ipſe Deus: mobile, homo: terminus à quo receditur, vitiũ: terminus ad quẽ acceditur, virtus: tẽpus deniq;, illud totũ quo quis conuertitur ac reſipiſcit.

Motus

Motus accidentia. Cap. 2.

IAm verò conſequens eſt, de quibuſdam motus accidentibus determinare. Continuum igitur motum dicimus, in quo nulla fit temporis interruptio. Atqui differunt continua, contigua, & conſequenter ſe habentia. Nam continua ſunt, quorum quod eſt finis vnius, id ipſum alterius eſt verum initium. Veluti: continuæ dicuntur domus, quibus eſt vnus idémque paries, qui huius finis eſt, & illius principium. Contiguæ autem, quæ diuerſos quidem habent parietes, qui tamen ſeſe mutuò contingunt. Conſequenter demum ſe habentes, inter quas ſpatium eſt intermedium, cui nihil ineſt eiuſdem generis, hoc eſt, nulla alia domus. Velocem item motum dicimus, per quem minori tempore maius quid vel acquiritur, vel deperditur. Vniformem, quo mobile iuxta partes ſuas æquè velociter, aut tardè mutatur. Regularem, quo mobile æqualiter, atque ſimiliter primo, medio, vltimóq; tempore mouetur. Naturalem, qui eſt ſecūdum naturam rei. Violentum verò, contra naturam.

Motus continuus quid.

Quomodo differunt continua, cōtigua, & conſequēter ſe habētia.

Motus uelox quid.

Motus uniformis quid.

Motus regularis quid.

Motus naturalis quid.

Motus uiolētus quid.

De his quæ mouentur, déq; mouentibus, atq; terminis à quo, & ad quem. Cap. 3.

POſteaquam de motus natura, & proprietatibus diximus: iam ſupereſt, de mouentibus quoque ac motis tractationem inchoare. Itaque eorum quæ mouentur, alia per accidens mutantur: vt muſicus, aliquo muſicæ extraneo & accidentali motu, veluti deambulationis, aut ſanitatis. Alia ex eo, quòd aliquid eorum mutatur: vt hominem ſanari dicimus, quia eius oculus,

Mobilium diuiſio.

oculus, aut pes, aut manus ſanatur. Alia ex eo, quòd integrè mutantur. vt homo ambulat, ſanatur, conualeſcit: dum ratione totius corporis id fit. Et ex hac quidem diuiſione, ſimilis facilè colligitur ipſius quoq; mouentis: ſi ea quæ rei mobili attributa ſunt, pariter & mouenti applicentur. Sed & ſimilis quoq; de termino à quo motus procedit, & ad quem tendit, tradi ſolet. Terminorũ à quo, & ad quem, alius eſt per accidens, alius ratione partis, & alius per ſe primò, ſeu integrè. Vt ſi quis ſimul ambulet, & ſanetur: locus ad quem, ſeu à quo pedem mouet, impertinens eſt (vt artis vocabulo vtar) atq; per accidens motui ad ſanitatem. Item ſanatio febris, pars eſt, ſi conferatur ad ſanitatem, quod eſt genus. Porrò reſpectu perfectæ ſanitatis, febri oppoſitæ, habet ille terminum per ſe primò, vt in quem omnino tendat.

Quid de mouentibus.

Diuiſio utriuſque terminorum à quo, & ad quem.

De naturalibus quæ per ſe mouentur, lex generalis. Cap. 4.

DE mobilibus autẽ per ſe, phyſico & naturali motu, dari ſolet generalis hęc regula: Omne quod mouetur, ab alio neceſſum eſt moueri: putà à principio illo, quæ forma eſt ſubſtantialis. Nam agens naturale non poteſt ſeipſum primò mouere, hoc eſt, omnino & ſecundum vtranq; partem eſſentialẽ. Sed altera ſemper eſt per ſe mouens & agens, ſcilicet forma: altera verò per ſe mota & patiens, materia.

Regula mobilium.

ſ. mat. & for.

Non abs re autem dictum eſt, de his quæ motu phyſico mouẽtur: quoniam in animæ motu minimè opus eſt diuerſitate moti atque mouentis. cum eadem, vtpote quæ res naturalis non eſt, à ſeipſa moueatur.

Contra Ar. pro Plat.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER QVARTVS DE INFINITO, LOCO, VACVO, ET TEMPORE.

Diuiſio infiniti. ſecundum quantitatem ſubdiuiſio duplex. Cap. I.

INfinitum eſt multiplex. Aut enim eſſentia dicitur, aut quantitate. Eſſentia quidem: vt Deus noſter immenſus, qui nimirum ſolus ſua eſſentia infinitus, cælum, terram, cæteráque omnia immenſa ſua bonitate atque clementia implens, nec loco, nec tempore capitur. Quantitate verò: vel continua, vel diſcreta. Ac rurſum vtroq; modo: vel ſecundum potentiam, vel ſecundum actum. *Infiniti diuiſio.* *Infinitum eſſentia.*

Quid infinitum potentia: quid item actu. Cap. 2.

POtentia infinitum dicimus, ad cuius vltimam appoſitionem, vel diuiſionem perueniri non poteſt. vt eſt numerus: qui quantumuis magnus ſit, ſemper vnius vnitatis adiunctione, fit maior. Item corpus diuidendo, nunquam peruenitur ad eius vltimam diuiſionem. Omne ſiquidem continuum, diuiſibile eſt in ſemper diuiſibilia. Actu verò infinitum eſt, cuius tota quantitas nequaquam aſſignatur. Sed profectò quemadmodum nullum vnquam re ipſa, neq; vacuum, neque hoc pacto infinitũ datur, ſiue corpus ſit, ſiue numerus: ita exiſtimandum eſt, definitiones quaſdã eſſe, quibus nõ tam quid ſit res aliqua, quàm quid nomen ſignificet, explicatur. *Infinitum potentia quid, & quale.* *Infinitũ actu quid.*

Quid locus. ſuperficiei, atque loci diuiſio. Cap. 3.

LOcus, eſt ſuperficies concaua corporis, proxima locato. Vt interior illa atq; vltima ſuperficies cęli Lunę, ignis loc⁹ eſt.



Duplex autē eſt ſuperficies. altera concaua, mediante qua corpus ipſum in ſe aliud continet: altera conuexa, ipſa exterior, quæ à continente corpore circundatur. Item locorum alius proprius: quādo videlicet cuilibet parti loci reſpōdet aliquid ipſius locati: vt cæli Solis locus eſt proprius, concaua ſuperficies cæli Martis. Alius verò communis, quando non reſpondet. Vt tota ſuperficies cæli, eſt locus communis ſingulorum hominum.

Loci ſubdiuiſio.

Quatuor loci cōditiones. De naturali loco, ac violento. Cap. 4.

FErè autem ad maiorem loci notitiam, aſſignantur quatuor eiuſdem proprietates. Prima. Locus continet locatum, & nihil eſt

hil eſt ipſius,hoc eſt,neq; pars,nec accidens, nec quicquã huiuſmodi. Secunda. Locus proprius, eſt æqualis ei quod continet.

Tertia. Locus nunquam omni locato priuatur, ſed ſucceſſiuè alia, atque alia corpora continet, per ſe quidem immobilis. *Daretur enim uacuum.* Quarta. Omnis locus aut ſurſum eſt, aut deorſum:& omne corpus ad ſuum proprium locũ atq; naturalẽ, ſiue ſurſum,ſiue deorſum,ſuapte natura fertur, in eóq; quieſcere natũ eſt, ac conſeruari. Hoc autem vltimum ac poſtremum deſcriptioni eſſe poteſt loco naturali. Conuenit enim cælo Lunæ, quod immediatè locus ignis eſt. conuenit & igni, qui locus eſt aeris. aeri, qui aquæ. aquæ, qui terræ. Huic autem loco opponitur locus violentus: qui eſt, in quo res non bene habet, & à quo dum poteſt, recedere nititur.

Quo pacto in loco eſſe intelligantur, quæ quantitatem non habent. Cap. 5.

CÆterùm cum res nulla videatur poſſe locum occupare, niſi quanta fuerit:intellectu videtur difficile, quomodo ea quæ nullius ſunt quantitatis, in loco eſſe dicantur. Qua in re eſt animaduertendum, tribus modis aliqua eſſe in loco. Primo, in loco circunſcribente. quemadmodum omnia corpora. Secundo, definitiuè quippiam in loco eſt, ſcilicet cum ipſum quidem loco non circunſcribitur, ita vt diuerſæ partes locati diuerſis partibus locantis, reſpondeant: ſecundum tamen certum quendam terminum in eo includitur, vt non ſit extra ipſum. Sic anima rationalis, definitiuè in loco eſt: ſic angelus. Tertio, Deus eſt in loco,nõ vtiq; circunſcriptus,nõ certis cõcluſus limi-

tibus: ſed per excellentiam. nam cũ omnẽ locũ repleat, nõ tamen ſuo loco coanguſtatur, ſed in infinitum pertranſit immenſus.

De occupatione, & replentia, variiſque replendi modis. Cap. 6.

AT verò quoniam occupationis, atque replentiæ (vt paſſim verbis arti peculiaribus vti compellamur) iam ſubijt ſermo, operæpretium facturi videmur, ſi nonnulla de earum diſcrimine ſubnectamus. Dicendum itaque eſt: Omne quod occupat, replere: ſed non contrà. Quocirca ponendi ſunt aliquot replentiũ modi. Primo enim replent corpora, ea inquã quæ adhuc ſunt corruptioni obnoxia, ſimúlque occupant: cum locum quem obtinent, etiam ab alio non permittant haberi. Secundo, replent ea quæ per ſe quidem quanta non ſunt, ſed per accidens ſunt coextenſa quantitati. vt formæ corporales, & accidentia omnia corporalia. quæ nimirum cũ plura ſimul ſint, conſtat perfectius ea, & felicius quàm prima replere, cum nec ſeſe mutuò impediant, nec obſtet alterum alteri. Tertio, anima rationabilis replet materiam, ſeu proprium corpus, dum in illo eſt. quæ profectò excellentius replet alijs formis, quoniam ſingulas corporis partes tota replet: cæteræ verò habent partes ſuas partibus corporis reſpondentes. Quarto, anima ſeparata, & angeli. Quæ animam in corpore ſitam excedunt: quòd ea tunc quodammodo ſit quanta, quanuis non coextenſa per corpus. nam finitur eius vis, & replentia, quantitate corporis in quo hoſpitatur. Illi verò nullos ſecum terminos deferunt, etſi eorum replentia alicubi finem capit, ſcilicet vbi deſinit præſentia virtutis.

Primus modus replendi.

Secundus modus replendi.

Prima, id eſt, primo modo replentia.

Quid

Quid vacuum. nullum re ipſa dari vacuum. Cap.7.

VAcuum, eſt locus, ſi corpore careat. vt ſi quæcunq; corpora ſunt infra concauum lunæ, Deus in nihilum redigat, illud vacuum efficitur. At certiſſimum eſt, diuerſiſque comprobatum exemplis, vacuum naturaliter non poſſe, contra hominũ vulgus, exiſtere. Quoniam ſic vniuerſa rerum natura abhorret à vacuo, atq; præcauet, vt vel grauia ſurſum, ac leuia deorſum moueantur, ne ſit vſquam hiatus aliquis, aut diſcontinuitas vniuerſi. Vnde quidem fit, vt, quemadmodũ ſi clepſydræ qua irrigantur horti, ſupremum foramen obtures, non niſi eo aperto egrediatur aqua: ita quoque per ſtramineum culmum, iam aëre exhauſto, vinum ad os attrahatur.

Quid tempus. Temporis duplex conſideratio. Cap.8.

TEmpus, eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius. hoc eſt, menſura, qua motus numeratur, ſeu ſecundum partes ſucceſſionis menſuratur.

Temporis proprietates. Cap.9.

TEmporis autem quinque ſunt proprietates. Prima. Tempus iam minimum datur, iam verò non. Secunda. Tempus dicitur multum, aut paucũ, vt numeratur vnum, duo, tria: longum autem, aut breue, vt eſt quantitas continua. Velox autem, vel tardum, cum nec numerus vllus, nec quantitas vlla talis vocetur, non dicitur. Tertia. Ipſum tempus, vniuerſale puto, eſt idem vbique. Quarta. Vt motus idem ac vnus, iterum atque iterum eſſe poteſt: ſic & tempus. Nam ſicuti cælum nunc moue-

Prima temporis proprietas *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

tur ex oriente in occidentem,eodem modo quo heri: ita & nunc Quinta. dies eſt,vt heri. Quinta. Non ſolùm tempore motum,ſed etiam tempus motu metimur. Verbi gratia , quemadmodum cõiectamus cæli motum tamdiu duraſſe, aut tantam partem circunuolutam eſſe,quia vna hora,dies,menſis, annúſve tranſijt:ita perſpicimus,nos,vna,duabus,aut tribus horis quicquam egiſſe,quia cælum huc vel illuc vſque volutum,ſeu motum eſt,aut ipſe ſol.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS, DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE rerum naturalium ad inuicem & inter ſe.

Quid generatio, & quid corruptio. Cap. 1.

GENERATIO, eſt motus à non ente ad ens. Corruptio autem contrà, ab ente ad non ens. Hæc ſiquidem illi, vt effectui, opponitur. Cúmq; eiuſdem ſit cauſa, ſeu occaſio, hinc ſanè fit vt corruptio vnius, ſit generatio alterius: perinde ac ferè dicimus, alicuius ſcelerati crimen, illius exitium. Vtraq; enim aliud nihil eſt, quàm huius totius, in iſtud totum mutatio: corruptio quidẽ illius, huius verò generatio. Quẽadmodũ cum per formæ commutationem homo corrumpitur, fit motus ab eo quod eſt non eſſe cadauer, ad id quod eſt eſſe cadauer. Item ab eo quod eſt eſſe hominem, ad id quod eſt non eſſe ho-

ſe hominem. I'dque mutato hoc toto in iſtud totum, quãuis pars altera, ſcilicet materia, ſemper remaneat eadem.

Quæ corpora ſimplicia, quæ item miſta. Elementorum actionis ac paſſionis initium. Cap. 2.

NVnc autẽ ſupereſt, vt ea ſubijciamus, quæ ad vniuſcuiuſq; generationẽ, corruptionémq; faciunt. Cuius rei hæc fuerit introductio. Corporũ alia ſunt ſimplicia, alia verò ex ſimplicibus cõmiſta. Simplicium rurſus alia ingenerabilia & incorruptibilia: vtpote vndecim cælorũ corpora, ſtellatũ omniũ atq; planetarũ. Alia generatione atq; corruptione tranſmutabilia: quatuor elementa. Hæc demũ cum ex nullis ſimplicioribus cõficiantur, ex ipſis tamen, mutuáq; eorũ actione, ac paſſione cõponi oportet omnia, quæ in inferioribus mũdi partibus gignuntur. I'dque à quatuor primis illis qualitatibus tangibilibus, calore, frigore, ſiccitate, ac humiditate.

Quæ inter ſe elementa conueniant, & in quibus. Cap. 3.

IGitur cum ex qualitatibus huiuſmodi, ſingulis elemẽtis duæ cõueniant: igni ſummè calidũ, & temperatè ſiccum: aeri ſummè humidum, & temperatè calidum: aquæ ſummè frigidum, & temperatè humidũ: terræ deniq; ſummè ſiccum, & tẽperatè frigidũ: ſanè inter ipſa elementa, quædam ſibi mutuò cõmunicant in altera qualitatũ. vt, ignis & aer, in calido: ignis & terra, in ſicco: aer & aqua, in humido: aqua & terra, in frigido. Quædã autem ſecundum vtranq; aduerſantur: vt ignis, & aqua: terra, & aer. At cõuenientiũ facilior eſt tranſmutatio, vt ex igni in aerem: ſola humiditate ſuperante, cum in reliquo conueniant. Vt verò ex igni fiat aqua, oportet & calidũ vinci à frigido, & ſiccum ab humido.

Prædicta-

Prædictarum qualitatum, atque adeò elementorum differentiæ quædam ac proprietates. Cap. 4.

Magis actiua.

Ratio neceſſaria.

Ignis ſphæra quare millies maior ipſa terra habeatur.

Quare elementa nõ pura.

Elementorum regiones.

POrrò ex hiſce qualitatibus, ac proinde elementis, in quibus prædominantur, alia ſunt magis actiua alijs, vt frigus, calor, aqua, ignis: alia magis reſiſtunt, vt humor, ſiccitas, aer, terra. Alioqui enim vniuerſum, ab ignis ſphæra ſubitò abſorberi poſſet. Ad hæc inter elementa, ſuperius excedit ſemper proximè ſubiacens ſibi proportione decupla. Ita vt, cum vel ſub æquali materia, ex vno terræ, decem fiant aquæ pugilli, atque deinceps: ignis ſphæra millies terræ globo maior habeatur. Rurſus vnumquodque elementum inuenitur non ſimplex, ſed miſtum. Non enim homini (quem ſanè Dominus inter opera manuum ſuarũ principem effecit) purum omnino conueniret elementũ. Quin & ob eandem cauſam, deſinit aquæ ſuperficies concaua, ipſius terræ, vt in cæteris fit, locus eſſe. Generatio miſti non fit, niſi primis qualitatibus ad concordiam quandam atque contemperamentum redactis. Duorum elementorum, ignis ſcilicet & aeris, locus eſt ſurſum: duorum autem, aquæ & terræ, deorſum. Duo elementa extrema, ſunt ſimpliciora medijs.

Quid miſtio, & de corporibus miſtis. Cap. 5.

Miſtio quid.

IAm verò demum de corporibus miſtis dicendum quoque breuiter. Itaque miſtio (vt hoc in loco, atque propriè) eſt elementorum adinuicem modificatorum vnio. Simul enim elementa omnia, nõ quidem ſecundum ſuas ſubſtantiales formas: ſed duntaxat ſecundum accidentarias illas qualitates, æqua virtute temperatas, in vniuerſo miſto, eiúſque partibus ſingulis permanent.

manent. Quod ſi aliquam ab illa mediocritate contigerit deficere, aut excedere : niſi priſtinæ ac naturali proportioni, eadem per prouidentiam reſtituatur, rem tum in corruptionem deducit. Id quod in hominibus exemplo ſatis eſſe poteſt : peſte quidem, aut febri laborantibus, atque etiam cholericis, ob ignis calorem ſuperexcreſcentem : hydropicis, & ſanguineis, aeris humorem : ſenibus, ac flegmaticis, aquæ frigiditatem : phthiſicis denique, ac melancholicis, terræ ſiccitatem.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTVS DE METEORIS.

De tribus aeris regionibus. *Cap.* I.

AT quoniam miſtorum quędam ſunt alijs imperfectiora, de quorum generatione non ſic planè, vt illorum, conſtaret : ipſius ferè determinatio ſpecialiter cõſtituitur. Súntque iſta, quæ in ſublimi producuntur. Igitur vt ad hæc facilior fiat acceſſus, totus aer in tres partes, diuerſimodè (quod dicunt) qualificatas, diuidatur: ſupremam, infimam, & mediam. Suprema regio, igni eſt contigua, atque circulariter cum ipſo ad motum cælorũ rapitur: vnde perpetuò calida, tum propter ignis vicinitatem, tum etiam propter motum, qui ſanè ad calorẽ efficiendum per ſe ſufficit. Infima verò, terræ vicina, ob reflexionẽ

Scilicet de aliorũ perfect. generatione.

Hoc eſt diuerſarum qualitatum.

radiorum ſolis à terra reuerberatorũ, atque exhalationes calidas, vaporéſque ex humo emergentes,tepidior euadit. Mediã porrò (quam non etiam radiorum reflexio cõtingit)ex effectibus in ea generatis, frigidiſſimam eſſe conſtat. Idque actione, quam per ἀντιπερίστασιν,id eſt contrariorum circumpoſitionem, appellant.

Ἀντιπερίστασις, id eſt contrariorum circumſtatio, ſeu circumpoſitio. Aeris indeterminatæ portiones. Cap. 2.

EST autem natura antiperiſtaſis, contrariũ à ſuo contrario ita circundari, vt virtus actionis eius diffluere,aut aliquo pacto exire non poſſit : vnde & eam neceſſe ſit quadam reciprocatione multiplicari.

Quid exhalatio, quid vapor, diuerſæque meteororum ſpecies. Cap.3.

SEd nunc ad rem accedamus. Primum itaque per influxus aſtrorum,ſolíſque calorem, quidam è terra, locíſque aqueis eleuantur fumi : qui ſi ſubtiliores fuerint, atq; vehementer calidi & ſicci, exhalationes dicuntur : ſin denſiores, tepidi, atque humidi, vapores. Huiuſmodi autem exhalationes plerunque viſcoſæ ſunt, & facilè, ob ſiccitatem, inflammabiles. Quarum partes ſæpe contingit ſecundum opacitatem difformem non ſimul ſuccendi, aut non ſimiliter ardere. Atque iuxta hanc diſſimilitudinem, tum in ſumma aeris regione, tum per antiperiſtaſim,in infima,diuerſæ rerum conſpiciuntur apparentiæ : vt draconis,capræ,lanceæ,candelæ, facis,torris,ſtipulæ, voraginis, hiatus,ſtellæ,ignis perpendicularis.Quę quidẽ cum id nõ ſint quod apparent, τὰ φαντάσματα vocantur. Eſt & ignis fatuus:qui loca decli-

decliuiora quærit. vnde & ad aquas ducit ſequentem. Præterea quoque eſt cometa: qui in ſuprema regione, ex materia pingui, & craſſa, per aduenientes continuò exhalationes multum diúque enutrita, generari perhibetur. Huius ſi materia in medio ſit ſpiſſior, & in circuitu rarior, quaſi crinitum videas: ſi pars deorſum protenſa, caudatum. & autumno potiſſimùm efficitur. Sed & galaxiam, ſeu viam lacteam dicunt apparere: propter receptionẽ luminis in exhalatione calida, ſicca, & rara. Denique in ventos abeunt exhalationes minus viſcoſæ, atque ideo non inflammabiles: magnáque vi pro ariditate ſpirant.

De nube, pluuia, grandine, niue, rore, pruina, & nebula. Cap. 4.

SI verò cuiquã vapori tantus inſit calor, vt in mediã vſque regionem poſſit efferri, vbi ratione frigoris, quod ex ſua natura tumorem inducit, in nubem condenſetur: atque hæc non parum aquoſa, ſi calore ſolis in modum ſpongiæ conſtringatur, fit pluuia. quam & nonnunquam virtute cuiuſdam aſtri, in ranas cõtingit reſolui. Futuræ autem pluuiæ ſigna ſunt, ſtella volitans, matutina rubedo, querela ranarum, acrior pulicum morſus, & ſolis aſpectus tempeſtiuior. Quòd ſi hæc quæ portenditur pluuia, ob immodicum frigus congeletur, grandinem habemus: in qua etiamnũ magni ponderis lapides, nimio vaporis calore euecti, nonnunquã reperiuntur. Fit autem nix, dum nubes nondum in aquam verſa, congelatur. At ex vapore modico, & ſubtili, non habente calorem vnde ad medium tranſportetur, in infimo per nocturnam frigiditatem, quæ inde aquam efficere poſſit, ros generatur. Sed ſi prius hic congeletur, quàm

Pluuia. *Grando.* *Nix.* *Ros.*

Pruina. quàm in aquam ſit conuerſus, ſit pruina. quæ plerunque propter terreſtre admiſtum, impediente frigore haud conſumptũ, fœtet. *Præſagia.* quin & aqua hinc diſſoluta, eſt inſalubris. Cæterùm ipſa ſi deorſum tendat, ſereni diei eſt indicium: ſin ſurſum, prænuntia oppoſiti. *Caligo, ſeu nebula.* Caliginem denique habemus, cum ſterilis vapor nõ procul à terra pendet. ſterilis inquam, hoc eſt, nec ſatis humidus ex quo generetur aqua: nec ſatis calidus vt ſurſum eleuetur. quæ ſolis virtute diſſipata, ſerenitatem præſignat.

Fontium, ac quorundam fluuiorum generatio. ſalſedo maris. terræ motus. tonitru. ac fulmen. Cap. 5.

EST quoq; hæc aeris natura, vt is ſubtilis quidem ac fluidus ſeſe in terræ poros immittat, pérque frigus nimium, atque humiditatem ibi admiſtam, facillimè in aquæ guttulas condenſetur: quæ paulatim in eundem locum deſcendentes, fonti ac flumini præbent initium. Sed & copioſa vaporum, atq; aduſtarum exhalationum in mare decidens permiſtio, ipſum reddit ſalſum & amarum. tametſi quæcunq; hinc producantur aquæ, alterantur, & iſtiuſmodi craſſiori terræ ingenio puriores euadunt. Quando verò in terræ viſceribus plurimæ generantur exhalationes, quæ ob ſolum ipſum poſtea per virtutem aſtrorum compactum, egredi nequeant: tum ibi pro ſolida compactione, necnon exhalationis magnitudine, eſt neceſſarius terræ motus, tremor ac commotio. Hinc ciuitates opprimuntur, hinc mõtes generantur atque adeò nonnunquam corruunt. Porrò in media aeris regione, per nubem ex vapore genitam obſeſſa exhalatio, eam frangit: atque inflammata egreditur. Et ſicut in terra ex coniunctione vaporis & exhalationis, gignuntur lapides cæteráque

teráque mineralia : ita illic, ex eiſdem vtriſq; interdum generatur lapis. Qui cũ iſtiuſmodi fulmine deiectus, ſæuit in inferiora.

Huius ſunt remedia, loca ſubterranea (quando interius quinq; pedibus non perfodit) pellis vituli marini, laureáq; corona.

Halon. Iris. Parahelius. *Cap. 6.*

EST præterea quando fiunt illa tria: quæ quidem inter ſe rationibus diſcrepant. Nam per nubem vniformem, quæ directè ſub ſole, luna, aſtróque pendet, fit luminis quædam refractio, vnde appareat integer ſub ſydere circulus, lumine colluſtratus, in modum lucidæ coronæ: qui halon dicitur. Iris verò, figura eſt arcualis, tribus adornata coloribus, puniceo ſcilicet, viridi, ac purpureo. Quæ etiam è regione ſolis, lunæ, aut ſui aſtri poſita, eo fit debilior, quo luminoſi radij longius protenduntur. Et nonnunquam etiam duplex aut multiplex (etſi rarius) apparet. Porrò Parahelius dicitur, imago ſolis, lunæ, alteriúſve forſitan aſtri, àd latus exiſtens. vnde quidem teſtatur Plinius, tres ſimul lunas Cn. Domitio, & L. Annio Coſſ. extitiſſe: quarum nimirum vna vera quidem eſſet, duæ verò phantaſticæ. Quod idem dicendum de triplici ſole, qui tempore Chriſti noſtri redemptoris apparuit.

Parahelius dictus eſt à παρὰ ϗ ἥλιος, id eſt à iuxta uel apud, & ſol.

Halon dicit coronam quæ græcis ἅλως dicitur.

Phant. id eſt imaginariæ.

FINIS LIBRI SEXTI.

Huius mundi corporum ordo. Ignem oculis non percipi. Terram, mundi centrum. Cælorum, & elementorum differentiæ. Cap. 1.

MVndi miſta ſummatim quinque gradibus continentur. Primo nanq; imperfecta, quæ μετέωρα diximus, breuiſſimæ omnium durationis. Secundo, terræ metalla. Tertio, plantæ. Quarto, bruta. Quinto, vltimo, ac perfectiſſimo, homines ipſi. Inter ſimplicia autē, quod elemētorum cæleſti naturæ & nobilitati propinquius, idem ſitu vicinius. Ignis ſiquidem raritate, ſubtilitate, ac celeritate, reliqua ſuperat: huic verò proximus eſt aer: deinde aqua. Terra autē, vt penitus craſſa, compacta, minimè tranſparens, grauiſſima, miniméq; mobilis, à regione cæleſti quammaximè diſtat.

Quòd autem ignis ipſe elementaris, propria conflatus altúſq; materia, minus quàm materialis iſte miſtúſque cernatur: dubio procul hoc facit eius perſpicuitas. Nam cedò, quî viſum ille noſtrum terminare poſſet, cum id ne aer quidē faciat, qui ſanè illo denſior eſt decuplo? Ad hæc, ſola omnium terra, perpetua firmitate conſiſtit. Circa quam quidem, vt totius mundi ſphæræ centrum, ſeu punctum quoddam, mouentur ampliſſimi illi cælorū orbes, cateráq; continuò elementa: adeò vt, quam minimā percipimus in firmamento ſtellam, decies & octies maior habeatur.

Porrò differunt cæleſtis natura, atq; regio, & elementaris: quòd elementa quidē motu recto nata ſunt moueri: ſemper autē cæli

tum

tum natura, tum angelorũ miniſterio orbiculatim voluuntur.

Secundo loco, elemẽta contrarias habent qualitates actiuas, ſecundum quas mutua corruptione augentur, ac minuuntur, cunctáq; ex ſeipſis cõpoſita interimunt: cæleſtis verò natura, ſicuti nullius miſti cõpoſitionẽ ingreditur, ſic nec vllas iſtiuſmodi habet qualitates, quin nobiliſſima luce, motúq; perfectiſſimo, in miſtis ſit omnis productionis efficax, atq; conſcia.

Ordo cælorũ, & quid ſit Aſtrum. Planetarũ differẽtiæ. Cap. 2.

EST autẽ hic cælorum ſitus: vt inter hos, Empyreum ſplendore omnibus, necnõ magnitudine lõgè præcellens, cæteros omnes ſuo ambitu circũſcribat: firma omnipotentis dei, beatorúmq; ſedes. Huic cõtiguum eſt primũ mobile: quod quidẽ reliquis ſui motus velocitate ſecum raptis, in naturales ſingulos dies, ad orientem, vnde prodit, per meridiẽ, occidentẽ, ac ſeptentrionem, recurrit: cæteris nihilominus motum quoq; proprium, haud ſecus ac nauta in vehiculo, per obliquum quẽdã circulum, ab occidente ex oppoſito peragentibus. Vnde quãto eidẽ propinquiores ſunt, tantò motũ propriũ tardius perficiunt. Sub hoc verò eſt cryſtallinũ, ſeu aqueũ: cui nec ſtella prorſus vlla ineſt, miro tamen ipſius vniuerſi ornamẽto, motuúmq; (abſit interea elementares aquas ibi eſſe dixerim) contẽperamento, ab optimo naturæ conditore appoſitũ. Inde ſubſequitur firmamentũ, in quo eſt innumerabilis illa fixarum ſtellarum firmata, ordinéq; diſpoſita, multitudo. Poſtea tandem ex ordine, ſeptem ſphæræ planetarum ſeu ſtellarum erraticarum: Saturni ſcilicet, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, atque Lunæ. Stella autem, ſiue aſtrum, nihil aliud eſt, quàm denſior pars ſui orbis. Sed vt

Cælum empyreum.

Id eſt, per Zodiacum.

Stella quid.

planetarum

virtutes planetarum. planetarum qualiſcunque habeatur cognitio: variæ eorum aſſignantur differentiæ, ac virtutes. Saturnus enim, frigidus eſt, & ſiccus. hoc eſt, frigiditatem, & ſiccitatem inducens, ſeu τὴν μελαγχολίαν. quo dominante ſi fœtus naſcatur, is aut ſtatim moritur, aut debilitato corpore miſeróque ſuperuiuit. Iuppiter verò, temperatè tum calidus tum humidus, corpora nimirum vegetiora reddit, ac firmiora. Mars, feruidus & ſiccus, craſin cholericam, ſeu temperamentum operatur bilioſum. Sol, medium obtinens locum, vitalíſque caloris, per ſe quidem lucidus, cæteris tamen tum aſtris, tum cælis, aeríque, lumen præbet. Venus, temperatè humida, ſolíſque comes, & in diſceſſu, & in acceſſu.

Mercurius, per ſe nec bonus, nec malus, nunc ad hunc, nunc ad illum planetarum declinat. Luna deniq;, frigida, & humida, craſin efficiens flegmaticam, dominatur humidis: atque vt illi candor creſcit, aut decreſcit, ſic affluunt hæc aut refluunt. Et cum omnium ferè cæterorum planetarum minima habeatur, nihilominus maxima apparet.


Circuli cæli. *Cap. 3.*

PORrò ad eorundem motum facilius pernoſcendum, ſolent in cælo circuli quidam conſideratione quadam, ac veluti imaginatione commonſtrari. Horum autem, alij maiores dicuntur, alij minores. Maiores, qui totam ſphæram duabus partibus æqualibus: minores autem, qui inæqualibus diuidunt. Atque inter maiores quidem, Æquinoctialis, ſecundum omnes ſuas partes ab vtroque mundi polo æquè diſtat. Hoc nomine dictus, quia cum ſol directè ſub illo mouetur, æquinoctium facit. Zodiacus cum æquinoctiali, vterque alterum, ille tamen obliquè, in duas

in duas partes æquales per idem centrum interſecat. Hic ſignis duodecim diuiditur: Ariete, Tauro, Geminis, Cancro, Leone, Virgine, Libra, Scorpio, Sagittario, Capricorno, Aquario, ac Piſcibus.

Colurus ſolſtitiorum, tranſit per prædictos polos: quem dum ſol attingit in principio Cancri, ęſtiuum fit ſolſtitium, circiter feſtum diui Barnabæ. Dum verò ex parte altera, verſus polum antarcticum, in principio Capricorni, ſolſtitium habetur hyemale, ad feſtum diuæ Luciæ. Colurus æquinoctiorum, per Arietis principium, ac Libræ. Et illic dum ſol ipſum attingit, vernale fit æquinoctium, ad feſtum diui Gregorij, in mẽſe Martio. Sed hîc ex oppoſito autumnale, ad feſtum ſanctæ Crucis. Meridianus per zenith capitis noſtri tranſit, & nadir punctum ex diametro illi oppoſitũ. Vnde quorũ eſt idem zenith, idem & meridies: quorũ idem nadir, eadẽ media nox. Demũ horizon diuidit hemiſphærium aſpectui noſtro propoſitũ, à ſubtracto. Inter minores autem, arcticum deſcribit polus Zodiaci, circa mundi polũ arcticum raptus. Antarcticum, eiuſdẽ polus alter, circa polũ alterum ductus. Tropicum Cancri, ſol ipſe ſua altiſſima vertigine, ac circuitione. Tropicum deniq; Capricorni, infima. Sed hæc in ſphæra aſtronomorum apertius.

Plagæ, ſeu Zonæ. Eclipſes. Cap. 4.



EX his autẽ fiunt quatuor ipſius cæli, ac proportionabiliter terræ regiones, Zonæ, ſiue plagæ. Vna, totum ſpatium quod eſt inter duos tropicos, quæ torrida appellatur. Duæ à circulis, arctico, & antarctico, vſq; ad polos mundi: frigidiſſimæ quidẽ. Duæ rurſum, quarum altera inter circulũ arcticũ & tropicũ Cancri: altera inter circulũ antarcticũ & tropicũ Capricorni: ac tẽperatæ, ꝙ ijs ſol nec nimis propinquus, nec nimis remotus ſit. Cæterùm de lunæ ac ſolis eclipſi, necnõ ſublatẽter de plenilunio, ac nouilunio, dicẽdũ quoq; nonnihil. Solis itaq; eclipſis, à lunæ his differt. Nam illic, inter ſolem & terrã ponitur luna, corpus opacum, impenetrabile omni ex parte, fítq; nobis duntaxat, luminis ſubtractio. Hîc verò, vmbra terræ lunã occulit, ac obſcurat, éſtq; actu luminis priuatio. Illa, ob lunæ quantitatẽ, multo minorẽ terræ, nunq̃ omni ex parte ac prorſus fit: hæc verò vt plurimum. De illa autẽ eclipſi ſolari, quæ vniuerſaliter, Chriſto domino pro nobis pendente, facta eſt: dicendũ, ſupra naturã ſolem quidẽ ipſum, non ſecundum ſui ipſius ſubſtantiam, lumine priuatum fuiſſe, ſed tantũ ſuos radios retraxiſſe, vt eos nec in terras effunderet, nec aerem ſolito lumine illuſtraret. Sed hoc, vt dixi, ſupernaturale fuit.

Fit autẽ plenilunium, nulla re interpoſita: noui. autẽ, ſolum ex parte terra ĩterp. atq; in initio lunæ ſubortæ

Terræ. ſ. quãtitate.

Solaris ecl. Chriſti.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS, DE ANIMA, POTENTIIS VEGETATIVIS, LONGItudine, ac breuitate vitæ.

Quid Anima. Animæ diuiſio. Animæ potẽtiarũ ſedes. Cap. I.

ANima, eſt principium quo viuimus, ſentimus, atq; mouemur. *Quid anima.* Animarum, alia eſt vegetatiua, vt in plantis: alia ſenſitiua, vt in brutis: & alia rationabilis, vt in hominibus. Includitur autem à rationabili, ſenſitiuum, & vegetatiuũ: item à ſenſitiuo vegetatiuum: perinde ac imperfectum à ſuo perfecto, abſque loci vlla appoſitione. E͂ſtq; anima hominis eadem & vegetatiua, ab officio vegetandi: & ſenſitiua, ab officio ſentiendi: & rationabilis, ab officio ratiocinandi. ídq; pariter vel in ſingulis corporis partibus. Quanuis tamen operationum quarundam certas ac determinatas habeat ſedes, & officinas, in quibus ipſæ aut ſolùm, aut excellentius quàm in alijs partibus perficiantur. quod idem in bruto. Sed hoc præter cætera intereſt: quòd ſola hominis forma, & tota in toto corpore, & tota in ſingulis partibus habeatur: atque adeò ſeparata, extra ſuam materiam maneat. Porrò ſunt animæ vires, aut in ea ſola, licet quidem ad illarum exercitium durante compoſitione corpus præueniat: vt voluntas, ac intellectus: ſine quibus vel ſeparata conſiſtere nequit. Aut in coniuncto, vt quas non niſi corporeo coadiuuante organo, exerceat: veluti viſiuam, oculo: memoratiuã corporalem, & imaginatiuam, cerebro. Quæ quidem omnes, ſecun-

dum naturalium diſpoſitionũ multiplicẽ diuerſitatẽ, multiplices etiam ac diuerſæ cenſentur.

Vis Vegetatiua in quibus ponatur. Cap. 2.

SEd nunc de vegetatiua paucis agendum. Habet itaque potentia hæc, tria potiſſimùm officia: alere ſcilicet, vnde viuens ſubſiſtat: augere, vnde ſub eodẽ ſemper cũ prioris obiecto alterato, corpus ipſum in iuſtã paulatim, ac naturæ conuenientẽ quãtitatẽ anima producere poſſit: & ſimile vt plurimũ generare.

Quatuor uirtutes naturales. Sunt & particulares quædã vires, ſine quibus nutritio, vel augmentatio minimè fiat: ſcilicet attractiua, retentiua, digeſtiua, ac expulſiua. Neceſſe eſt enim, ſingulis membris nutrimentũ communicari: debitè concoqui: ac aliquantulum temporis retentum, in ſimile ipſi alendo tranſmutari: atque demum eo digeſto, relictas immunditias propter morbos extrudi. Fit autem rerum inter ſe generatio, aut ex propagato ſemine quod in nonnullis ſuperfluum eſt alimenti: aut ex puluere, atque corruptione: aut ex particula de productore præciſa. At hoc tandem intereſt, quòd potentia nutritiua, & augmentatiua ſuum quidem indiuiduum in quo eſt, nutrit, atque augmentat: nihil verò per potentiam generatiuam quæ in ſeipſo eſt, generatur. Ex quo etiã liquet, duabus prioribus digniorem eſſe generatiuam: vt quę hæc ad ſpeciei, nobilioris quidem, conſeruationem immediatè ordinetur: illæ ad ſuſtentationem indiuidui.

Attractiua uirtus. Digeſtiua. Retentiua. Expulſiua. Vt ĩ homine, cæteriſq; maiuſculis animalibus.

Vnde diuturnior Vita, ac proinde etiam breuior. Cap. 3.

CÆterùm, vt per naturalem demũ calorem, radicali, & pinguiuſcula humiditate perpetuò educatum, viuit vnumquodq;:

quodq;: ita ſanè ad longiorem vitam,his debita quidẽ ſicci atque frigidi proportione temperatis,opus eſt:vtpote ſi à caliditate humor aliquantulum ſuperetur. Vnde fit nimirum, vt ex ſingulis quatuor hominum temperamentis & craſibus, ſanguinea quæ aeri reſpondet,longè ſit validiſſima. Alioquin autem inter connexas illas, præualet cholerica dominans, cum flegmate nõ immodico: & melancholica remiſſior, iuncta ſanguineæ. At verò ſcitu dignum id deniq; ſenſerim:quòd quemadmodum ferè vehementius principium non parum progreſſionem remittit: ſic ea quæ initio feruore aduruntur, debiliora tandem euadunt. Hinc qui præcoci ſunt ingenio, atque natura,plerunque videas, ob nimium calorem paulò pòſt à ſua potentia deſtitui, atq; prærnatura morte ſiccitati ſuccumbere. Hinc contrà (ingenio ſiquidem officit humiditas) quæcunque in principio humidiora ſunt, illis ſublatens interim calor conſtantiora poſtmodũ, atque nobiliora reddit munera. Hinc qui ampliori veſcuntur cibo, qui veneri ſunt indulgentiores, quíque immoderatis atteruntur laboribus, breuius agunt. Hinc qui nimia ſunt humiditate pleni, illis moderatus quidem conducit labor.

Nullum enim uiolentũ perpetuũ ut ſæpe teſtatur Ari.

Contradictio. Specierum naturalis defectus. Cap. 4.

QVòd autem per nutrimentum non poſſit tamen res aliqua in perpetuum viuere, id cauſæ eſt: per extranei cõmiſtionem continuò ac paulatim ſubiecti virtutẽ minui. Quo etiam nutrimento euenit, vt alioquin propter mediocritatis negligentiam, termini rebus conſtituti ne pertingantur quidem. At non ſolùm per extraneum admiſti, atque adeò immoderationem fit,vt propterea quòd humidum non ita bonũ

reparetur,quemadmodum aſſumptum erat vitæ initio,minimè naturalis ætas tranſigatur.Sed & quò amplior fit ſpeciei propagatio,eò magis ac magis rerũ debilitatur virtus,generum in modis minor eſt duratio. Atque demũ naturali ratione non minus ſpecierum,quàm indiuiduorum,neceſſaria erit interemptio.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS, DE SENSIBVS EXTERIORIBVS.

Senſuum, atque ſenſibilium diuiſiones quædam. Cap. I.

SENSVS, eſt potentia animæ,qua per ſpeciem ſentit,ac,prout ipſius animalis eſt,percipit vnũquodq;. Hi interiores (de quibus ſequenti libro) atque interius habentes organum: illi exteriores.Exteriores, quinque: viſus,auditus,guſtus,odoratus,& tactus. Obiecta totidem,viſibile, vt color, lux:audibile, vt ſonus: guſtabile,vt ſapor: odorabile, vt odor:tangibile,vt ſunt tangibiles qualitates. Senſibilium, alia per ſe percipiuntur,quæ ratione ſuæ naturæ,ipſa obiecta:alia per accidens,ob aliud inexiſtens,obiectorum ſubiecta. Senſibiliũ per ſe, quædam ſunt propria ſenſus, vt color, ſonus, odor, ac ſapor: quippe quæ ſingula ſuis duntaxat percipiantur ſenſibus. Quædã verò pluribus ſenſibus communia : tangibiles nonnullæ qualitates,ſeu modi:vt motus, quies,numerus, figura, quantitas, maximè po-

mè poſitionẽ habens in continuo. Organa denique: oculi (neruo veluti bidente in cerebrum protenſo, necnon obiecti ſpecie in centro aqueo recepta) aures, lingua, nares, nerui tactiui.

Coloris, atque lucis percipiendæ ratio, & quibus propriè color conueniat. *Cap.2.*

SVnt igitur obiecta viſus: lux & color. Atqui quemadmodum nec color, ita nec lux ipſa, ſine luminis illuſtratione, huic quidem propria, illi verò extranea, ſenſum perſpicuo medio mouet. Splendor enim ab alio ſplendore (maximè ſi hic maior ſit) vt plurimum offuſcatur. Ad hæc, corpora aliqua ſunt, quæ tum fulgore proprio, nempe in tenebris, tum etiam ſuo colore, per lumen extraneum, conſpicere licet: vt nix, & lignum putridum, carbunculi, felium oculi, nonnulli vermes, & piſcium oſſa quædam. Aliqua verò ſemper ſecundum idem: vt flammæ igneæ ſecundum lumen, nunc quidem de ſe diffuſum, nunc quoque alienum. Porrò conuenit propriè color ſolum opacis, quæque διάφανα non ſunt, hoc eſt tranſparentia, atque perſpicua: nec hoc quidem tantùm ſuperficie tenus, ſed & in penitioribus quibuſque partibus, quod per diſſectionem patet, licet alioquin luminis fulgor non actu pertingat. Sunt autem perſpicua, vt aqua, aer, ignis, corporáque cæleſtia: quæ quidem non vt colorata, ſed vt luminoſa potius, & alieno lumine colluſtrata, cernuntur. Si enim aut lumen haberent proprium, aut colorem, ſanè (quod in vitro colorato liquet) vt coloribus per ſui ipſorum medium diſcernendis: ſic & cuilibet luci percipiendæ, præberent nocumentum. *Quæ διάφανα.*

Organum

Organum auditus. Soni generatio. Vox, atque Echo. Cap. 3.

QVemadmodum autem in oculis ſita eſt pupilla, cryſtallino obducta humore, reticulis cum albugine contra quâuis læſionem diligenter munita: ſic in aurium illis anfractibus ſitus eſt quidam cõnaturalis aer, membranula prouidiſſimè concluſus, in quo quidem fit ipſa ſoni perceptio. Vbi quoque ſi aurem obturari contingat, ex aeris extra pelliculam violenter compreſſi colliſione, quidam generatur ſonus: cuius quidem perceptio in homine, ſignum eſt incolumis auditus: perinde atque integri viſus, oculi coram ardentiori luce propius appoſita, aut etiam alio quouis offendiculo, frequens reuolutio. Sonum autem, ex cõrporũ colliſione (quæ ſi remotius cernatur, tunc demum facillimè videas auditum à viſu anteuerti) per medium aerem, partim (vt dicunt) realiter (vnde quidẽ auditu, cæteriſque inde exterioribus ſenſibus ferè habetur ſubtilior, nobilior, ac per ſe melior viſus) etiam in gyros ab ipſo oppletum, partim intentionaliter, atque ſecundum eius ſpeciem, percipit auditus. Et ſicuti inter colores, qui vel quantitate minor, ex ſe clarior eſt, ac luci ſimilior (vt album, rubeum, cæruleum: nigro, viridi, fuſco) ex longo interuallo magis quoque afficit viſum: ſic ſoni corporum, nonnunquam etiam paruulorum, modicæque percuſſionis, alij alijs ſpeciem facilius latiúſque diffundunt.

At hoc interim & de voce tradam: quòd quemadmodũ ſingulæ corporis dotes iubente natura diuerſis ſubſtituuntur muneribus: ſic ſpiritus ipſe nunc neceſſitatis eſt, nempe dum per arteriæ (in quam etiam hanc ſi à latiori illo ſuo tramite cibus incidat, is vitæ adferat periculum) meatum in follem, hoc eſt pulmonem,

monem, ad refrigerationem cordis iterum atque iterum trahitur: nunc verò magis boni ſolùm & vtilitatis, dum ſcilicet voci formandæ præſtat auxilium.

Porrò vocum aliæ articulatæ ſunt: quæ per ſingulas ſuas partes ita diſtinguntur, vt ipſis etiam correſpondentibus literarum characteribus, probè depingi poſſint, ſiue animo quicquam repræſentent, ſiue non. Aliæ verò inarticulatæ: vt brutorum naturales, puerorum clamantium, ebriorum, furioſorum, necnon mutorum. vnde & hi minimè loqui dicuntur. Sed & nonnunquam eſt, quando ſonus à corpore obiecto in modum pilæ repellitur: quæ reuerberatio, Echo nuncupatur. vt fit in locis vagis, decliuioribus, atque concauis.

Organum olfactus. odorum diuiſio, ac odoratus. Cap. 4.

AT ſubodorandi potentia (quam vti videndi, aqueum: audiendi, aerem: ſic quoque hanc igneum quoddã aſſerũt) in duabus carunculis intra nares ſita eſt. ad quam nimirũ odor eodem prorſus modo, quo ſonus ad auditum, diffunditur. Vnde corpora propter ſuas huiuſmodi euaporationes, protractione tẽporis minuuntur: quíque illis proximè aſtant, harum ſubſtantia, pro earundem locali motu, próque craſſitie, aut ſubtilitate, vel in extranei quandoque prohibitionem, plerunque afficiuntur.

Quòd autem inter animalia, quædam minus alijs olfaciunt acutè, impedimentum aiunt à cerebri vicinitate ipſum loculum accipere. Quod quidem illud in homine vt maius eſt quàm in cæteris, ita frigidius exiſtit. Porrò, odorũ alij per accidens, gratia ſaporis, in alimentis: alij per ſe, in floribus & aromatis: vtroq; modo, vel leues ſunt olfactui, vel graues. Et cum illos homini

duntaxat, brutóque datum ſit percipere: proculdubio vt ad eos latior eſt hominum vis, ita nobilior, magíſque ad ea quæ excellentiora ſunt ſeſe accommodat. Cæterùm ſicuti animaliũ quibuſdam ſunt oculi molles, atque propterea palpebris obuoluti, alijs verò minimè: ſic alia, vt pote reſpirantia, ipſum olfactum, perinde ac fiſtulam vocalem, operculo habent concluſum, quod non niſi reſpiratione tollatur: alia verò non, vt ſunt piſces, apes, muſcæ, & formicæ.

Quare operculum oculorum ſit inuentum.

Quare narium.

Guſtus. ſaporum ſpecies: guſtus ac tactus diuerſitatis probatio. *Cap. 5.*

ὄργανον nihil aliud eſt, quàm inſtrumentum.

Medium, ſcilicet poroſam carnem.

EſT autem organum guſtus, linguæ neruus quidam, poroſa carne opertus. Nam guſtus & tactus medium idem habent, atque adeò organum: & ea quidem vel interdum eodẽ corpore, membróque coniuncta. Porrò quemadmodum lumen, quædam eſt immutandi viſus, coloríſque probè diſcernendi neceſſaria occaſio, non ipſum medium: ſic ipſius guſtus, ſaliuaris humoris, nullo quidem amarore infecti, commiſtio. Ad hæc ſaporum in miſtis, genera ferè hæc aſſignantur: dulcis, ſuauis, amarus, pinguis, acer, acutus, auſterus, acidus, acerbus, & ſalſus. Poteſt tamen vel integro remanente tactu, interuenire guſtus defectio.

Tactus. eiuſdem obiecta. quid efficiat craſis, ac cuiuſuis temperamentum, ſeu vt dici ſolet, complexio. *Cap. 6.*

POſtremò, tactus, ad cunctorum quidem animalium vitam, ſecundum illarum quatuor primarum qualitatum harmoniam, maximè omnium neceſſarius, per omnes corporis partes, vnà cum ſuo organo expanditur. Obiecta: caliditas, frigiditas,

ditas,humiditas,ſiccitas:& ſub his leue,graue,aſperum,læue,durum,molle,viſcoſum,ac fragile. Ex his manifeſtum eſt,tria eſſe quæ eandem habent radicem: ſcilicet tactus bonitatem, carnis mollitiem, acutiémque ingenij. Quemadmodum enim,vt qualitatum temperatior eſt ad vitam craſis atque temperamentum, ſic excellentior tactus (quanuis non adeò cæteri ſenſus) atque carnis aptior mollities:ita quoque mentis (vt in cuius operationibus corpus ſit inſtrumentum) acies fœlicior.

Communitates ſenſuum exteriorum. Cap.7.

CÆterùm omnibus ſenſibus conuenit, rerum ſpecies ac ſimilitudines abſque materia ſibi ſuſcipere. *Prima.* Quemadmodum à ſuorum ſenſibilium defectu minimè commutari: ſic ab exuperantia corrumpi. *Secunda.* Vnumquenque ſuum determinatum obiectum habere, à quo patiatur: medium per quod immutetur: organum in quo operetur. *Tertia.* Nullum alterius proprium obiectum percipere. *Quarta.* Ad illorum condecens miniſterium, mediocrem vtriuſque & ſenſus & ſenſibilis, exigi diſtantiam. *Quinta.* Ipſos non obiectorum modò, verùm & priuationum perceptiuos eſſe. *Sexta.* vt quemadmodum viſus, lucem, ita tenebras, viſibile,atque inuiſibile, hoc eſt,quod nequaquam, vel difficulter videtur, dijudicat:auditus audibile,& inaudibile:olfactus,odorabile,& inodorabile, & cætera.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER DECIMVS, DE SENSIBVS INTERIORIBVS.

De ſenſu communi, ac vi imaginatiua. Cap. 1.

Senſus interiores. *Senſus cōmunis locus.*

SENSVS interiores ſunt, cōmunis, imaginatio, æſtimatio, & memoria. Senſus communis, in anteriori cerebri parte collocatus eſt. In quem omnium communiter, quæcunque exterioribus apprehenſa ſunt, ſpecies, atque adeò ipſorum demum ſenſuum actus, per ſingulos neruos, quaſi in centrum, ſeſe dijudicanda, recipiunt. Eſt autem cellula hæc ſatis ampla, medulloſa, & humida. Quæ ſi congrua proportione diſponatur, tum facilis capacitatis, boníque *Homo boni iudicij.* iudicij cenſetur homo. Qualem quidem tradunt Phyſionomi, qui non obtuſa, nimíſque rotunda, ſed cornuta fronte exiſtit. *Senſu carere.* Híncque fit, vt rudes, ferè ſenſu caſſos dicamus. Itaque ſicuti ſenſus communis, quādiu tandem per exteriorē ſenſum ſpecies præſentis obiecti percipitur, vel paulò forſan diutius, eam *Formarū theſaurus uirtus imag.* ſuſcipit: ita virtus quidem imaginatiua, formarum theſaurus, prorā itidem capitis inhabitans, ſubdurior tamen, quæcunque ab ipſo ſenſu communi ſuſcepta ſunt, quaſi penus & promptuariū, vel longè abſente obiecto, continet, conſeruátque.

De æſtimatione, atque quadam imaginatorum apprehenſione. Cap. 2.

ÆStimatio autem, tum apprehenſiua, tum etiam motiua, ex ſpeciebus per imaginationem conſeruatis, intentiones, cogitata, exiſtimationéſque ſibi elicit. Vt cum cuiquā, ex ſui

vultus

vultus phyſionomia,bonam,malámve credimus indolem.Quæ profectò æſtimatio ipſa, minimè per ſenſum extraneũ meauit, neque ab illo primùm concepta eſt.Et ex ea ferè fit,vt quempiã vel odio,vel amore proſequamur. Sed & ſecũdum hunc ſenſum tertium,non ita ſemper elicitur intentio, verùm ſolo naturæ inſtinctu mouentur quandoq; animalia, vt aues ſuo tẽpore nidos conſtruunt:formicæ cibos accumulant: aranei mirum in modũ ſuas araneas,retia,& artificioſas telas,cõtexunt.Porrò,vt ex imaginatiua quidem ipſa,conſurgit delectatio,vel triſtitia,quemadmodum propter amplos honores, multas diuitias, mortem, læſionem,& huiuſmodi:ſic ad æſtimationem demum ſequitur ipſa fuga, vel proſecutio.

Bruta ſolo nat. inſtinctu agunt, uel potius agũtur.

Eſt & potentia,quæ rerũ quoq; ſpecies,in vi imaginatiua (quã diximus)ſeruatas,nunc cõponit,nunc diuidit:vt ſi ex auro & mõte,aureos montes: aut ſi hominem abſq; capite, fingamus: quæ phantaſia nuncupatur. Sed hîc animaduertendũ, quoſdã eſſe, qui ſecundam illam,phantaſiam: hanc verò imaginatiuam, appellant.ac rurſum, qui iſtam quam prædiximus phantaſiam,cũ æſtimatiua eandem aſſerunt: quibus apprimè conſentio. alij verò diuerſam dicunt. Verùm haud certius poſſunt hæ omnes vires,quàm à ſuo quæq; officio denominari,atq; diſtingui,nomina cum rebus conferendo, atq; contrà. Cæterùm æſtimatio hæc in medio cerebri ventriculo, inter imaginatiuam, & memoratiuã (cui quidem huic intentiones concreditas, iterum atq; iterum, vt citra eaſdem phantaſietur,repetit) ſita eſt,loco admodum calido:ad quẽ multi ſpiritus continuò aſcendentes, eundẽ frequẽtius alijs,& mirabili quidem inſtabilitate,vel vſq; ad ipſam interdum animalis cõmutationem,in motum agunt.

Æſtim. locus

De memoria. Cap. 7.

HInc ſequitur memoria, intentionũ theſaurus, ad poſtremũ cerebri conſiſtens: vt conſeruatiuarũ virtutũ præcipua, ſic omnibus quidẽ minus mollis & humida. Quam ſanè phyſionomi eò meliorẽ conijciunt, quò ſupra illam cumulus occipitij apparet ornatior. Inde quia ſicuti quod molle eſt, celerius impreſſionem apprehẽdit: quod durum, firmius retinet: fit, vt qui molliorem hunc locum habent, capiant quidẽ velocius: ſed tamen fixius inhæret, quod fortiori altioríq; impreſſione eſt adeptum.

Signum deprehendendi bonã memoriã.

At verò tantò melius vnũquodq;, quãtò tẽperatius. Vnde etiã quemadmodum in valde ſenibus, ob continuum humoris defectum, nimiámq; in eis duritiem, minimè cerebrum, vt eo tẽpore, obliteratur: ita in pueris leuitatẽ memoriæ facit humor: qui & ſi nimius exiſtat, ſuſceptionẽ quoq; impedit. Cuius tamẽ rei præterea cauſam continuum motũ dicunt, in his quidem augmẽtationis, in illis verò diminutionis. Ad hæc, inter homines videas nonnullos, nõ magni in occipite tumoris, attamen probè diſpoſiti, non altius eminentis, non protenſi poſterius. qui ſanè vt modicæ ſunt & anguſtioris memoriæ: ita ferè maiori pollent ingenio, perceptionéq;: & frontem habent cornutam, magnúmque ſynciput. His in primis expedit, pauca eáque optima (ſiquidem Deus prudentiſſimus, bonorúmq; omnium æquiſſimus largitor, non omnibus dedit omnia: voluit tamen vnumquenq; pro ſuo captu in cõmunem vtilitatem, rémq; tam publicam quàm priuatam elaborare) in memoriam congruo ordine diſponant, maximéq; neceſſaria. Vt ſunt generales veritates, vniuerſaliores atque catholicæ notitiæ: ex quibus nimirũ alia eliciant, atq; pluribꝰ

rebus per ea ſeſe accõmodent. Eſt quoq; potentia ſoli homini tributa, qua quis, id quod eſt è memoria lapſum, per alterum rurſus quippiam, ſecum perueſtigando (ne iterum diſcere, putemus reminiſci) reducit: hoc eſt, diſcurſus rerum, cũ ratione ab vniuerſali habitu, ad ſua (quamuis & alioquin, per alterius rei interpoſitionem: aut etiam à ſupellectilis cõparatione, abeunte ſolicitudine, reminiſcatur) ad ſua inquam particularia: & à remotis à ſenſu. quæ quidem potentia, reminiſcentia appellatur. Hæc autẽ cum memoratiuæ addi non poſſit, quę perpetua quiete conſiſtit: ſanè, vel citra controuerſiam, ad æſtimationem releganda eſt. quæ ipſa, ſecundum excellentiorem nobilitatem, quam in homine obtinet, vt quidem memoratur quorũ nondũ præceſſit obliuio: ita profectò aliorũ quoq; reminiſci, minimè negandũ eſt. *Id eſt, ad memoriam reducit.*

De ſomno & vigilia. Cap. 4.

POſtremo tandem loco venit quarundam in ſenſibus paſſionum, Somni, atque Vigiliæ, declaranda cognitio. Eſt igitur vigilia, ſenſuum intẽſio ac libertas ad operandũ, obiecto oblato, necnon extrinſeci impedimento ſecluſo. Somnus verò, naturale quoddã ſenſuum ligamen, atq; naturalis quies ad virium ipſorũ ſenſuum recuperationem, & rei vegetandæ præſidium. Atque quidem hinc eſt, quod dici ſolet, Somno moderato, non minus quàm cibo, animal enutriri: & carnis vigorem non minus ſomni, quàm cibi ſubtractione, infringi, atq; imminui. Ex quibus liquet, quòd quemadmodum ad corporis vitã probè abſq; laſciuia confouendam, temperato (vt fert natura) vir prudens vtitur alimento: ſic idem ſomno, ad iuſtam virium alacritatẽ. Nam ſicut qui ſomni ſunt mediocris, ad omnia prompti, & alacres, cernun-

Quid uigilia.

Quid ſomnus

cernuntur, ſenſuum quoq; viuacitate gaudent: ſic contrà, homines nimio ſomno dediti, pigri manent, deſides, oſcitabundi, graues, malæ cóprehẽſionis, obtuſi iudicij, & omnino ad ea quæ ipſis conueniunt, inepti. Eò autẽ grauior fit in animalib⁹ ſomnus, quò plenius, è corde vapores ad cerebrum erecti, ibíq; infrigidati, ſenſitiuorum ſpirituum meatus occupãt, ne poſſint à cerebro in ſenſuum organa diffundi. *Quo pacto fiat uigilia.* Quòd ſi tandẽ illos aliquo pacto contingat remitti, vbi primùm ſpiritibus patet aditus ad organa, fit ſenſuum ſolutio. Ad hæc, ipſa ſenſuum reparatio videtur maximè circa finẽ ſomni poſt medium fieri: cum prius id exigat natura, quod eſt neceſſarium ad eſſe, q̃ quod ad bene eſſe. Hinc quia principio ſatis multo tẽpore nutritiua & augmẽtatiua ſuas potiſſimùm exercent operationes, ſi quidem plus iuſto ſomnus extendatur, rurſúſq; inde conuoluatur cerebrũ, perfecta iam ſufficienter nutritione, videtur potentia generatiua ſecundum ordinem, ſuo officio ſuccedere.

De ſomnijs. *Cap. 5.*

CÆterùm ſenſus interni prius exterioribus intenduntur, incipiúntq; operari: vnde his adhuc colligatis contingit, maximè poſt mediũ ſomni, vbi vapores ſenſim minuuntur, atq; ſubtiliores euadunt, illos interdũ ſolui, atq; tunc varia apparere phantaſmata, quæ ſomnia appellamus. Ex quibus coniectare licet, quid potiſſimũ affectui inhæreat, & de quibus vigilando maximè fuerimus ſoliciti. Quòd autẽ ea ſic tantũ habere putem⁹, vt nobis occurrunt: inde videtur eſſe, quòd nõ niſi operantibus ſenſibus externis, qui tunc ligati ſunt, facilè diiudicamus, nihil tale eſſe præſens. Hinc etiã fit, vt ſæpius in tenebris terribile videãtur ſibi

tur ſibi quicquam videre homines. At verò paſſim in ſacris legitur: Dominum, tum ſanctitate, tũ dignitate, authoritateq́; præeminẽtibus (quãuis & peſſimis ipſe peræquè facere poſſet) in ſomnis futura, abſentiáve (vt tunc interioribus, aut circa nulla, aut ſaltem pauciſſima occupatis) impreſſione quadã diuina, & æterna commonitione, immittere.

Porrò aliud quoq; genus eſt ſomnij, quod ſimiliter in phãtaſia quidẽ, ſed ſecundũ ipſam craſin ſeu temperamentũ efficitur. vt dum Sanguinei, ob lætam & aeriam craſin, de rebus rubris, pulchris, & amœnis ſomniant, ac frequenter ſe volare exiſtimant: Cholerici, de igne, bellis, iurgijs, ac contentionibus: Phlegmatici, de aqua, glacie, niue, & huiuſmodi: Melancholici, de terra, rebus grauibus, & triſtibus. Item ſiquid naturæ deeſt, quod appetit, aut ſit alimenti ſuperfluitate onerata, de ea re ſomniat quilibet homo: vt de cibo, potu, loco vbi pro honeſtate, vel meiere, vel cacare licet.

Varietas ſomniorum, pro uarietate τῶν κράσεων.
Sanguinei.
Cholerici.
Phlegmatici.
Melancholici.

Vnde quoq;, vel caſtiſſimos interdũ accidit nocturnis illuſionibus vexari, præſertim quibus valida eſt vis generatiua. Sed hoc obiter admonẽdi ſumus, quòd, vt quidẽ omne vitium eſt voluntarium, ita qui, aut dormiens, aut forſan vigilãs, iſtiuſmodi phãſmatũ ſurreptione fuerit impetitus: cuiuſcunq; ſint generis, quãtuncunq; deteſtanda: nõ eſt tamẽ quòd ſibi adeò metuat, niſi ex vigili præuiáq; voluntate conſurgant, aut ſibi in hiſdẽ quoquo modo cõplaceat. Sedulò tamẽ proſpiciat is, ſeſe nõ prorſ⁹ immunem cõcupiſcentiæ, vnde ſecurus agere debeat. Verùm de his latius pertractare, & vtrum ſint obſeruanda hæc ſomnia, nécne, id potius eſt philoſophi moralis.

Nota.

FINIS LIBRI DECIMI.

LIBER VNDECIMVS, DE INTELLECTV, EIV'SQVE OFFICIIS.

Quid intellectus, eiúſque diuiſio. Cap. 1.

VTcunque hactenus cognitis, quæ omnium penè naturalium inter ſe ſunt communia, nunc demum operæpretium eſt, ipſius quidem hominis (ad quem nimirum ordinantur cætera, quémq; omnibus eiſdem præficiens, minuit Deus paulò minus ab angelis) peculiaria, paucis attingere: in hoc potiſſimùm, vt cũ id quo cęteris prępollet fiat manifeſtius, tum patri munificentiſſimo præ omnibus referat acceptum. Primùm igitur intellectus eſt, quędam virtus animæ, qua ex intentionibus æſtimationis ſpiritualiores in ſe rerum ſpecies, alioquin nullo ſenſu perceptibiles, efformat. Vnde & plura quoq; ſibi poſtea progenerat. Vt enim æſtimatiua potentia (cuius ſanè eſt, admodum pauca per ſe concipere, & quidẽ huiuſmodi duntaxat, quæ ad ipſius animalis conſeruationem, atque directionẽ, attinent: vt eſt amor, odium, voluptas, dolor, ac ſecundum ſenſum conueniens & diſconueniens) cæteris ſenſibus eſt ſuperior, & cui denique ſubſeruiant omnes: ſic intellectus præſtat æſtimatiuæ.

Dauid pſalmo 8. & Paul. ad Hebræos, paulò poſt principium c. 2.

Intellectus quid.

Hic intellectus, quaſi conſtaret ex materia & forma, alteram habet potentiam, intellectũ paſſiuum: alteram verò, intellectum actiuum. Rurſum ex hoc eodem, vt totus ſpiritualis eſt, tripartitam ſola ratione, conſtrictámq;, conſtituimus potentiam: ſcilicet intellectũ, cui omnis intellectualis virtus ſubijcitur: voluntatem,

Prima diuiſio intell.

Conſt. id eſt ſtricte captã.

Secunda diuiſio.

tatem, ſeu appetitũ intellectualem, cui omnis moralis: & memoriam intellectiuam. Vnde qui poſſit tum in remotiſſima quæq;, tum minus elongata, meritò dicitur (ſaltẽ virtute) omnia: id eſt, omnium ſimilitudine informatus. Et ſicuti lumen eſt ad oculũ, cuius gratia huic imprimantur colorum ſpecies: ita agens iſte ad patientẽ, cui intelligibilium. Quæ quidem demũ hæc diuinæ illius atq; immenſæ lucis ſcintilla, aut veſtigium, non niſi ſcelere extinguitur.

Multiplex cognitio intellectiua. Cap. 2.

PORrò quemadmodum in ſplendidis columbę pennis diuerſas cernimus apparere colorum differentias, prout lumen ſupra illas diuerſimodè cadit, & oculi reſpectus ad ipſum variatur: ita vel eodẽ phantaſmate exiſtente in phantaſia, intellectus poteſt ſeſe ad ipſam conuertere, vt veluti varijs modis eandem illuſtrans, nunc particulariter, nunc vniuerſaliter, & quidẽ vtroq; modo, aut rurſus concretè, aut abſtractè quicquã ipſe concipiat. *Quot, quibuſque modis cõcipiat aliquid intellectus.* Particulariter quidẽ, ac concretè: vt dũ rei ſingularis ſubiectum pariter cũ forma (id quod & ſenſui viſus in quibuſdam conuenit, ſuo tamen more, atq; vt ipſius animalis eſt) aut indiuiduum ipſum vnà cum totius ſpeciei natura, percipit: *Particulariter, & cõc.* abſtractè verò, ſi ſeparata. *Abſtractè.* Vniuerſaliter autem, ac concretè: vt ſi eiuſdem ſpeciei cuncta indiuidua concipit: *Vniuerſaliter, & concr.* abſtractè vero, ſi eorum ſolam naturam, & cõmune genus. *Abſtractè.* Sed & altera eſt notitię diuiſio, qua aut vltima abſtractione abſtracta dicuntur, putà cum tam ab indiuiduis, quàm à ſubiectis, omnimoda fit ſolutio: vt humanitatis, & (vt ſic loquar) albedineitatis. aut nõ vltima, vt eſt albedinis, quæ licet ſit à ſubiecto ſecluſa, non tamen à ſuis ſingularibus. *Duplex abſtract. comprehenſio.*

Cætera intellectus officia. Cap. 3.

Duæ prop. ſpecies. Veritas. Falſitas.

AD hæc,id ſibi, præter illa quæ ipſius animalis cuicunq; ſenſui per naturã,aut cõſuetudinẽ (quæ altera eſt natura) imprimuntur,peculiare habet intellectus:vt ex ipſo,vel interdum quáprimũ res ipſas,tũ ſcriptura,tũ inſtituta voce,aut alio quouis deſignatas,ſuſcipiant homines. Hinc, quoniã ratione cõpoſitionis quæ fit affirmãdo, & diuiſionis quæ negãdo,ineſt ſoli illi veritas,putà cũ ita eſt ĩ re,ſicuti in eodẽ repręſentatur:atq; falſitas,cũ nõ ita eſt in re:dubio procul,ſoli quoq; cõuenit per tẽpora ratiocinatio,deliberatio,atq; electio.Qui & ſi ĩ ſpeculatione verſetur, ſpeculatiuus dicitur:ſin in eo quod acturi ſumꝰ,actiuus. Quòd autẽ dicimus,canẽ æſtimare rẽ aliquam eſſe ſibi cõmodam ſeu cõuenientẽ,vel incõmodam:id ſanè nõ alia ratione quàm naturalis ſenſus,atq; neceſſitatis efficitur. & ſic in cęteris huiuſmodi.

Bruta agi diximus non agere.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

LIBER DVODECIMVS, DE DVPLICI APPETITV, VOLVNTATI'SQVE excellentia.

De ſenſitiuo appetitu. Cap. 1.

Quid appetitus in genere.

APpetitus eſt,animæ virtus,qua , tum ſenſitiua,tũ intellectiua apprehẽſione,inclinamur ad aliquid proſequendũ, aut fugiendũ,amandum,aut ſperandũ,&c. Hic intellectiuus, volũtas:ille ſenſitiuus,irrationabilis, atq; brutus. At ſenſitiuus omnium animantium communis eſt: vel quæ

vnicũ

vnicum tantùm ſenſum habent. Animali autem omni, tactum eſſe oportet: atque adeò appetitum hunc, phantaſiæ ſimilem, ac æqualem. Vnde & moueri ipſum dicemus, & mouere. Magis verò deteſtatur terribilia, quàm delectabilia proſequatur. Atque is eſt, cui paſſiones vulgò attribuimus. Ex his autem ſunt, amor, proſecutio, voluptas (in quibus cenſetur, quod propè eſt, nihil diſtare videri) odium, fuga, & triſtitia. Adhæc, appetitus hic ſenſitiuus bifariam, pro frequentiori forſan diſpoſitione, diuiditur. Aut enim concupiſcibilis eſt, cum res circa obiectum, vt bonũ, aut malum, ſimplici quadam ratione afficitur. Et ad hanc partẽ ſpectant, iam prædicta. Aut iraſcibilis, cum ſub quadam difficultatis, veluti perſequendi, aut ſuperandi, conditione. Et huc pertinent, ſpes, deſperatio, audacia, timor, & ira. Sed cum inter generales has omnes paſſiones, ex concupiſcibilibus quidem odium ſit amori contrarium, fuga proſecutioni, & dolori gaudium: ex alijs autem ſpei deſperatio, & audaciæ timor: nihilominus tamẽ, iræ non niſi priuatio opponitur. Nam ſi gaudium dicas, nonne hoc de præſenti atque iam adepto bono: illa verò aut de bono adhuc habendo, aut ſuperando malo per medium vindictæ concipitur? Cæterùm, in omnibus his paſſionibus hic ordo naturalis eſt, vt iraſcibiles ex alijs oriantur, atque in eoſdem purè terminentur & deficiant.

τὸ πάθη appet. ſenſitiui.

Diuiſio appe. ſenſitiui.

Præd. ſcilicet amor, odiũ, &c.

Dicas ſcilicet contrarium iræ.

De voluntate. Cap. 2.

Qvinimo affectiones iſtiuſmodi (ne dicam tamen paſſiones, quòd corporis quandam immutationem, ac imperfectionem includant) & ſpirituales prorſus, voluntati quoque competunt: prout hæc ipſa variè ab intellectu, ſeu

Diſtinguit paſſi. ab affect.

ratione, aut circa virtutes, aut etiam artes (quæ ſanè & penes arduum verſantur) atque huiuſmodi, promouetur, ſiue bona ſint hæc, ſiue mala. At verò vtique ferè in nobis accidit, ex harum redundantia, etiam paſſiones illis correſpŏdentes generari: vt dum ſerenitate vultus, aut triſtitia, gaudium, dolorémve conſcientiæ demonſtramus. Hoc autem inter appetitus iſtos duos intereſt: quòd cum intellectus bonum aliquod nobilitati humanę conueniens, aut etiam incommodum, proponit voluntati, nŏ ea trahitur ad id naturaliter, quemadmodum ſenſitiuus appetitus ad id quod æſtimatio: verùm liberè vel proſequitur, vel fugit. voluítq; Deus naturales iſtas paſſiones à libertate hac, quaſi domina, moderari. Sed cum dominium alterum ſit, per quod ſubditus non niſi quæ ab hero iubentur, exequitur: alterum verò, per quod & nonnunquam alia: ſanè huic generi comparatur dominium voluntatis: alteri, appetitus. Secundo loco intereſt: nam voluntas quidem ipſa ſecundum naturam ſuam, cŏcupiſcit, proſequitur, gaudet, ſperat, atque audet ea quæ ratio iudicat eſſe bona. Cuiuſmodi ſunt vera, & quæcunque cum æternitate coniuncta ſunt: nempe honeſta, vt virtutes. nec ſolùm hæc, verùm & vtilia, ac delectabilia quæuis alia, ſed non niſi ſecundum debitam moderationem: illa quidem per ſe, iſta verò propter ea, quaſi propter quoddam ſupremum bonum. Niſi ſupra huius vitæ naturam dicas, Deum Opt. Max. eſſe ſummum illud per ſe bonum, quod præ omnibus perpetuò ſitit & appetit noſter animus. Quæ verò mala, odit, fugit, &c. Senſitiuus autem appetitus afficitur circa ea, quæ ſenſus ipſi, aut ſibi bona iudicant, aut mala. putà quæ duntaxat vtilia videntur, delectabiliáque, aut his contraria: atque adeò tantùm cum exceſſu quodam. Vt ſunt corporalia.

Differĕtia inter appetitŭ ſenſ. & volunt. prima.

Duplex dominium tangit hac egregia analogia.

Differen. 2.

Id eſt, quæ animum in ſtatu perficiunt.

poralia, temporalia, diuitiæ, delitiæ, gloria, faſtus, omníſque quæ circa corporis pulchritudinem, potius deteſtandam, quàm tam ſtudioſè affectandam, verſatur, cura, diligentia, & temporis noſtri bona pars.

Senſitiuus appetitus aſſimilatur equo indomito. *Cap.3.*

IGitur poſtquã praua iſta ſenſualitas, ex primi parentis inobedientia, naturæ humanæ, tunc quidem primùm corruptæ, malè irrepſit (antea tamen in omnibus, vt & inde haud dubiè in Chriſto domino, necnon matre eius ſacratiſſima virgine, prorſus immuni) ſanè effectum eſt, vt ad virtutem arctum ſit nobis relictum iter, contrà verò latiſſimum ad vitia. Voluntas enim noſtra appetitui ſenſitiuo, tanquam equo rebelli inſidet. Sed quemadmodum quidem non niſi per conſenſum ab eo huc vel perperam deducitur: ſic nec ad culpã imputantur inſultus, donec per negligentiam hunc inualeſcere permiſerit. Itaque ſicuti ad equũ probè edomandum, atque in rectam viam, rectóſque modos dirigendum, frenis & calcaribus maximè opus eſt: ita nimirum habitus boni, voluntariæque atque honeſtæ aſſuefactiones, vt ſenſualitati frena, ſic quoque ſtimuli exhibentur, plagæ, ieiunia, vigiliæ, lachrymæ, manuum labores, nuditas, frigus, fames, ſitis, egeſtas, vilitas, contemptus, &c.

Cæteræ voluntatis dignitates. *Cap.4.*

EX prædictis patere poteſt, voluntatem, per ſe quidem liberam, cæteris omnibus potentijs in homine, vt ipſe animal eſt, atque intellectualis, præeſſe: quatenus ſcilicet ad eius imperium natæ ſunt moueri. Vegetatiuas autem ſolas excipio. Et quan-

Et quanuis cæleſtium corporũ operationes poſſint ipſum appetitum ſenſitiuum, vt corpori immerſum, immutare: nequaquam tamen voluntatem, quoad per ſocordiam, nimiámque indulgentiam ſenſualitati ſuccubuerit. Porrò hominem (vt rationis quidem, ac voluntatis capacem) ſolum mereri aut demereri, patere poteſt, cum hæc liberum ponant dominium. Cæterùm voluntatis quoque ratione habet homo, vt ſoli ſibi inter naturalia creata, conſtituantur prohibitiones, dogmata, præceptiones, promiſſiones, minitationéſq; & cætera huiuſmodi. Ad hæc, cum inter omnia bona, quæ nobis (vel ex nihilo) à principio mundi creauit Deus, nullum infinitum fecerit, intellectui autem ſoli duratione̅ æternam indiderit: vt præter ſe quidem, ſummè bonum, atque immenſum, nullo hic ſatiari poſſit: vanè profectò ſeſe excruciat homo, qui fragilibus iſtis ac temporalibus deſiderijs, ſuam voluntatem adimplere miſeris modis, etiam atque etiam contendit: quin potius illum requirat, illum vocet, in eius manibus totam ſuam ſpem collocet, ad eúmque cuncta ſua deſideria, vota, ſtudiáque omnia dirigat.

Eſt enim media inter ſenſum, & rationem.

LIBRI DVODECIMI AC TOTIVS PHYSIOLOGIAE, FINIS.

MD2 11

BB 860471